Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Ve mihi quia factus sum sicut qui col
ligit in autumpno racemos
vindemie. Non est botrus ad comede
dum precoquas ficus desideravit anima
mea. Periit sanctus de terra et rectus in
hominibus non est. Omnes in sanguine in
sidiantur: vir fratrem suum venatur ad
mortem. Malum manuum suarum dicunt
bonum. Princeps postulat et iudex in
reddendo est. Et magnus locutus est deside
rium anime sue et conturbaverunt eam.
Qui optimus est in eis quasi paliurus et
qui rectus quasi spina de sepe. Dies spe
culationis tue visitatio tua venit.
Nunc erit vastitas eorum. Nolite crede
re amico et nolite confidere in duce. Ab
ea que dormit in sinu tuo custodi clau
stra oris tui. Quia filius contumeliam
facit patri, filia consurgit adversus ma
trem suam, nurus contra socrum suam. Ini
mici hominis domestici eius. Ego autem
ad dominum aspiciam, expectabo deum
salvatorem meum. Audiet me deus
meus. Ne leteris inimica mea super me
quia cecidi: consurgam. Cum sedero in te
nebris dominus lux mea est. Iram domini porta
bo quoniam peccavi ei, donec iudicet causam
meam et faciet iudicium meum. Educet
me in lucem: videbo iustitiam eius. Et
aspiciet inimica mea et operietur con
fusione, que dicit ad me: Ubi est dominus
deus tuus? Oculi mei videbunt in eam:
nunc erit in conculcatione ut lutum pla
tearum. Dies ut edificentur macerie
tue. In die illa longe fiet lex. In
die illa usque ad te veniet assur et
usque ad civitates munitas, et a civitatibus
munitis usque ad flumen, et ad mare
de mari, et ad montem de monte. Et
erit terra in desolationem propter habitatores
suos et propter fructum cogitationum eorum.
Pasce populum tuum in virga tua, gregem
hereditatis tue habitantes solos in saltu.
In medio carmeli pascentur basan
et galaad iuxta dies antiquos. Secundum di
es egressionis tue de terra egypti osten
dam ei mirabilia. Videbunt gentes et con
fundentur super omni fortitudine sua.
Ponent manus super os, aures eorum
surde erunt. Lingent pulverem sicut
serpens, velut reptilia terre pertur ba
buntur de edibus suis. Dominum deum nostrum
formidabunt et timebunt te. Quis deus
similis tui qui aufers iniquitatem et trans
fers peccatum reliquiarum hereditatis tue.
Non immittet ultra furorem suum quia
volens misericordiam est. Revertetur et miserebi
tur nostri. Deponet iniquitates nostras et pro
iciet in profundum maris omnia peccata nostra.
Dabis veritatem iacob, misericordiam abraham,
que iurasti patribus nostris a diebus antiquis.

Explicit Micheas propheta. Incipit prologus
Naum prophete.

Naum prophetam
ante adventum
regis assyri
orum qui populum
israel captivum
in suas regio
nes transtulerat fuisse hebreorum tra
ditio confirmat. Siquidem huius lectionis
in fine predicti regis adventum idem pro
pheta annuntiare monstratur. Sed cum ha
bitatores ninive iona interitum civita
tis predicante ne divina ira devasta
ti interitum sustinerent peccatorum et in pecca
tis penitentiam egissent, accepta dei miseri
cordia gravioribus sceleribus irritare ceperunt.